



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

IX. De Facultate absolvendi à reservatis tempore Jubilæi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

798 *Tract. XII. De Immunitate Ecclesiastica, & Indulgentijs, Dist. III.*
ad sua sese domicilia receperint, possint opera præscripta peragere, sicque Jubilæum lucrari: atque in hunc finem, ut omnium cum majori quiete, ac devotione perfici valeant, conceditur eisdem spatium duarum hebdomadarum non minus, ac cæteris.

Q U Æ S T I O IX.

De Facultate absolventi à reservatis tempore Jubilæi.

Tempore
Jubilæi so-
let Confes-
sarijs con-
cedi po-
testas ab-
solvendi à
Reservatis,

118. **P**RO majori intelligentia sequentium est notandū, quòd tempore Jubilæi præter Indulgentias plèarias, omnibus Fidelibus opera præscripta ritè peragentibus concessas, duplex communiter potestas respectu eorum concedi solet Confessarijs, quos ipsi ex approbatis ab Ordinarijs locorum elegerint. Prima est, quod hi possint eos pro ea vice, & in foro conscientie tantum, absolvere ab omnibus censuris, & peccatis, etiam reservatis tum à locorum Ordinarijs, tum à Summo Pontifice, ac etiam contentis in Bulla Cænæ Domini: dummodò non sint publicè denunciati, incidisse in aliquam sententiam, seu censuram excommunicationis, suspensionis, & interdicti; nam tales expressè in Bulla excipiuntur, nisi infra tempus celebrationis Jubilæi satisfecerint. Solet etiam interdum expressè excipi crimen hæresis, ut videre est in Jubilæo Innocentij X. anno 1648. die 11. Martij publicato, quod refert Gobat circa initium *Tractatus III. Quinarij.*

Et commu-
nandi vota.

119. Altera facultas, concessa Confessarijs, est, quòd possint quæcunque vota ipsorum (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare. Ubi nomine *Castitatis* intelligitur Castitas perpetua, & integra, ut in simili dictum est suprà *Tract. VI. Dist. 3. n. 45. & 46.* Non tamen solet concedi ulla facultas dispensandi super aliqua irregularitate quomodocunque contracta, prout amplius ex verbis Bullæ cujuslibet Jubilæi patere poterit; nam illa nonnunquam alterantur. His prænotatis, pro solutione præcipuorum dubiorum, circa materiam præsentis quæstionis occurrentium, sit

Jubilæum
non posse
bis obtine-
ri, est pro-
babilius.

120. **CONCL. I.** Probabilius est, quòd Jubilæum ad duas hebdomadas extensum non possit bis obtineri; ac proinde, quòd inritu ejus absolutus à reservatis hebdomadâ priori, non possit denuò hebdomadâ sequenti reiteratis operibus absolvi à reservatis, in quæ noviter incidit. Ita Lugo *disp. 27. de Sacram. Penit. n. 221.*, citans Suarez, & Sanchez, & alios. Filliucius *n. 261. alle-*

gens,

rens, ita fuisse declaratum à Sacr. Congregatione Concilij, anno 1620. & rursus n. 278. ubi refert, ita respondisse Clementem VIII. ac novissimè Sannig *loc. cit. n. 15.* Fundatur hæc sententia præter alias jam Declarationes, in eo : quia indulgentia tantum valet, quantum sonat Bulla ; atqui Bullæ Jubilæorum utuntur clausulâ dissociativâ, *Qui primâ, vel secundâ hebdomadâ* : & infra : *Alterius ex duabus hebdomadis* ; ergo non nisi dissociativè poterit Jubilæum obtineri primâ, vel secundâ hebdomadâ, & consequenter non bis, seu copulativè in utraque.

121. Atque hinc ulterius infertur, quod si quis in uno loco, v. g. Salisburgi, lucratus est Jubilæum, ibi prius publicatum, & postea veniat Frisingam, ubi ferius idem Jubilæum publicatur ; non possit secundò idem Jubilæum lucrari, & absolvi à reservatis : quia, licet locus sit diversus, Jubilæum tamen est idem. Lugo *loc. cit. n. 122.*

Nec etiam
in duobus
locis,

122. Additur notanter in Conclusionè, *probabilius est.* Quia non desunt Doctores, qui affirmant, posse Jubilæum sæpius, atque in utraque hebdomadâ obtineri, si opera præscripta repetantur, eò quòd beneficium Principis sit latissimè interpretandum, quando non tendit in præjudicium tertij. Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 11. n. 1.* & novissimè Gobat *Tract. 3. Quinarij, n. 92. & seqq.* citans plures alios ; ac proinde n. 256. inferens, quòd primâ hebdomadâ absolutus à censuris, si reincidat in illas, possit secundâ hebdomadâ denuò absolvi repetitis operibus : quorum sententiam Lugo *cit. n. 122.* probabilem censet, etsi nostram appellet probabiliorem.

Quamvis
non desint
oppositum
tenentes,

123. CONCL. II. Valida est absolutio illius, qui animo adimplendi omnia requisita pro lucrando Jubilæo, die Lunæ alterius hebdomadæ confessus est peccata reservata, & ab eis, atque annexis censuris, etiam Papæ reservatis, obtinuit absolutionem pro Foro conscientie, licet postmodum opera præscripta implere negligat. Ita Zerola *part. 2. Praxis Episcopalis, §. Absolutio, quest. 11.* Lugo *disp. 20. de Sacram. Pœnit. n. 100.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 54. n. 42.* Bonacina *disp. 5. de Sacram. Pœnit. quest. 7. punct. 5. §. 5. n. 16.* citans insuper Suarez, Vasquez, & alios : quamvis non nulli velint, in tali casu censuras, earumque reservationem reddere. Ratio Conclusionis est : quia absolutio ejusmodi fuit data omnino absolutè, non autem sub conditione de futuro, ergo semel habita, simpliciter tenet. Accedit, quòd pœnitens cum intentione peragendi omnia requisita confessus, ritè fuerit dispositus

Valida est ab-
solutio à re-
servatis, ob-
tenta in Ju-
bilæo ab
habente a-
nimum ad-
implendi o-
pera præ-
scripta, si-
cèt postea
hæc nõ per-
agat.

tus pro recipienda absolutione ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis virtute Jubilæi, quod lucrari verè intendebat; nam in ordine ad istud obtinendum Papa concessit facultatem absolventi à reservatis.

124. Additur notanter, *qui animo adimplendi omnia &c.* Nam deficiente intentione adimplendi opera ad Jubilæum requisita ex parte confitentis, deficit quoque facultas absolventi à reservatis ex parte Confessarij; cum ipsam Pontifex solum concesserit in ordine ad consequendum Jubilæum, ac proinde defectu potestatis absolutio illa nunquam fuerit valida. Lugo, Bonacina, *ubi supra*, cum alijs.

125. Variant autem Doctores, utrum in priori casu poenitens graviter peccet, si postquam tempore Jubilæi obtinuit absolutionem à reservatis, mutato animo non præstet opera præscripta, sicque Jubilæum lucrari negligat. Et quidem Suarez *disp. 31. de Pœnit. sect. 4. n. 5.* arbitratur, talem graviter peccaturum, E contra Sanchez *loc. cit. n. 54.* Lugo, Bonacina, *ubi supra*, Gobat *cit. tract. 3. n. 262.* & alij, probabilius esse censent, talem non peccaturum mortaliter: nam, ex quo bonâ fide petijt, & accipit absolutionem à reservatis, non apparet sufficiens fundamentum inducendi obligationem sub mortali ad præstanda cætera opera; cum nulli gravem injuriam inferat, sibi que potissimum noceat non lucrando Jubilæum, ad quod nullâ lege sub mortali obligatur.

126. CONCL. III. Qui confessus est tempore Jubilæi animo illud lucrandi, atque ex oblivione omisit confiteri peccatum reservatum, vel censuratum, potest peracto Jubilæo eius absolutionem obtinere à simplici Confessario. Ita Lugo *cit. disp. 20. n. 99.* Filliucius *tract. 3. cap. 10. de Jubileo, n. 279.* Sannig, *loc. cit. n. 17.* Suarez, & alij. Ratio est: quia per absolutionem tempore Jubilæi generaliter & absolutè datam, jam censetur ablata reservatio pro oblitis; & consequenter poitea ab his potest absolvere simplex Confessarius.

127. Et hoc ipsum non pauci Doctores extendunt etiam ad commutationem votorum, ita ut ille, qui præstitit opera pro consequendo Jubilæo præscripta, possit transacto etiam tempore Jubilæi votorum antea factorum commutationem petere, atque obtinere à quovis Confessario. Ratio esse potest: quia, qui semel lucratus est Jubilæum, acquisivit jus ad obtinendas omnes gratias Jubilæi, etiam pro tempore sequenti, si eas pro tunc petere fuit oblitus; & consequenter, sicut postea potest obtinere abso-

Secus, si non habuisset a-nimum ea implendi.

Utrum ab-solutus à re-servatis pec-cet mortali-ter, si postea non præstet opera Jubi-læi?

Virtute Ju-bilæi, potest quis absolvi à reservatis oblitis co-jam pera-cto.

Hoc ipsum tenent ali-qui de com-mutatione votorum.

Quaest. IX de Facultate absolvendi à reservatis tempore Jubilæi. 801

absolutionem à reservatis, ita & commutationem votorum. Ita Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 54. n. 39. Lessius lib. 2. de just. & jur. cap. 40. n. 109. Gobat loc. cit. n. 243. citans plures alios.

128. Fatendum tamen, quod Suarez lib. 6. de voto. c. 16. n. 14. & Bonacina disp. 4. in Decalogum, quaest. 2. punct. 7. §. 3. n. 14. & quidam alij, negent commutationem votorum fieri posse post peractum tempus Jubilæi, nisi hæc pro tunc jam fuerit inchoata, sicque perpetuata jurisdictio delegata Confessarij, dicendo v. g. *Commuto tua vota in ea opera, qua postmodum ero designaturus.* Alioquin verò (inquunt) transacto tempore Jubilæi, expirat jurisdictio Confessarij. Neque enim est paritas inter absolutionem à reservatis, & commutationem votorum: nam illa jam absolute, & sine aliqua conditione, facta fuit ipso tempore Jubilæi; non sic commutatio votorum, nisi in casu iam excepto.

129. CONCL. IV. Quando in Bulla Jubilæi datur Confessarijs Probabilis facultas absolvendi pro Foro conscientiae ab omnibus censuris, & peccatis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam in litteris die Cœna Domini legi solitis, & aliis. - quomodocunque reservatis: probabilis est, etiam concedi facultatem absolvendi ab Hæresi, nisi hæc expressè excipiat. Ita Fillucius cit. tract. 8. c. 10. n. 265. asserens, ita fuisse responsum in Sacra Pœnitentiaria 1617. occasione Jubilæi tunc promulgati. Zerola part. 2. Praxis Episcop. §. Absolutio. quaest. 8. concl. 4. citans Sotum dist. 22. quaest. 2. art. 3. Corduba, in Summ. quaest. 8. Fagundez, Lugo, Azorius, pluresque alij, ac novissime Gobat cit. Tract. 3. Quinarij, n. 248. & ibi in Appendicula; quamvis etiam multi teneant oppositum, ut videre est apud Barbosa part. 2. de Offic. & potest. Episc. alleg. 40. n. 31.

130. Ratio Conclusionis est: quia verba generalia generaliter sunt intelligenda; simulque negari nequit, quin Hæresis connumeretur inter casus Bullæ Cœna Domini. Deinde causa motiva, ob quam Pontifex per Bullam Jubilæi solet Confessarijs concedere amplissimam illam facultatem absolvendi, solet assignari ista; quia videlicet Sanctissimus Dominus Papa cupit omnes Christi Fideles participes fieri hujus pretiosissimi Thesauri, seu Jubilæi: atque etiam lapsus in Hæresin, & de hac verè pœnitens, & contritus, pertinet ad Christi Fideles: cur igitur is solus de mente Pontificis non poterit particeps fieri tanti Thesauri, nisi expressè excipiat? Notum quippe est, quod beneficium Principis, nulli certio præjudicans, sit largissime interpretandum, ut c. Olim de Verb. signif. & quod favores sint ampliandi, non restringendi, juxta Reg. 15. Juris in 6. cum similibus.

Alij verò negant.

Probabilis est, in Jubilæo concedi facultatem absolvendi ab Hæresi, nisi excipiat.

Idque probatur multipliciter.

Reconfirma-
tur.

131. Accedit, quòd, si Papa à tam generali & favorabili concessione velit esse exceptum crimen Hæresis, soleat illud expressè excipere, prout sæpius factum esse, ostendit Gobat, *ubi supra*; ergo, quando illud expressè non excipit, censetur per verbatam generalia, atque intuitu Jubilæi, velle dare Confessarijs potestatem absolvendi etiam à crimine Hæresis pro Foro conscientia, *arg. c. quia circa. de Privileg. ibi: Cum nihil exceperit & poterat exceperisse; sicut jam fecerant alij Pontifices, quando hoc crimè voluerunt esse exceptum.*

Solvitur ra-
tio opposi-
tæ senten-
tiæ.

132. Nec obstat ratio Doctorum oppositæ sententiæ, sese fundantium in gravitate, & rigorosa reservatione Hæresis: unde (inquiunt) hoc crimen non venit in generali concessione absolvendi, cum sit speciali notâ dignum, juxta Reg. 81. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Nam contrà est: quia, licet sit opinio multorum Doctorum, non venire in generali concessione Casuum Bullæ Cœnæ crimen Hæresis, propter ejus enormitatem; tamen id nullo jure probatur, & alioquin Viri etiam doctissimi contrarium sentiunt; quod & in usum, & praxin, reducitur Romæ in Sacra Pœnitentiaria, ut inquit Filliucius *loc. cit.* atque intrepidè, singulariter à Confessarijs Septentrionalibus, ubi impunè grassantur Hæreses, in usum deduci posse, notat Gobat *cit. n. 249. circa finem.* Accedit, quòd si vera esset opposita sententia, non nisi superflue, & nugatoriè quidam Pontifices expressè crimen Hæresis exceperint, utpote quod per se, & aliunde jam fuisset sufficienter exceptum.

Responde-
tur ad De-
clarationes
SS. Pontifi-
cum.

133. Afferuntur quidem in favorem oppositæ sententiæ nonnullæ Declarationes SS. Pontificum, uti videre est apud Barbofam *cit. n. 31.* Verùm respondet Diana *part. 1. tract. 5. resol. 1.* post Fagundez, quòd de illis non constet authenticè. Cerrè Responso Sac. Pœnitentiariæ, per Filliucium adducta, stat in oppositum. Quòd si reverà tales Declarationes Pontificiæ emanarint, non erit locus dandus nostræ sententiæ: nisi dici possit, quòd dictæ Declarationes emanarint à Pontificibus circa proprias suas Bullas; aut, quòd ipsæ restringantur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum, ubi viget Officiù S. Inquisitionis, ad cujus instantiam dictæ Declarationes emanarunt, ut patet ex verbis Decreti à Diana. *ubi supra. relati.*

Excepta
Hæresi non
censentur
excepti ca-
sus Hæresin
sapientes.

134. His addendù cum Diana *part. 4. tract. 4. resol. 140.* Gobat *loc. cit. n. 250.* & alijs, quòd, licet quandoq; in Bulla Jubilæi expressè excipiantur Hæresis à generali facultate absolvendi, non idcirco censentur excepti alij casus Hæresin sapientes: ut est lectio, ac retentio librorum hæreticorum unà cum cæteris casibus in primo Articulo Bullæ Cœnæ contentis. Nam talia delicta non possunt cum verborum proprietate dici Hæresis.

TRAC-